In nomine domini amen. Ne rerum gestarum series oblivionis vicio denigretur, expedit eas scripturis
et testium subsidio perhennare. Ea propter noverint universi, tam presentes quam futuri, qui presentes credidint
inspecturi, quod ego Magister Ulricus dictus Hofmaier bona et matura deliberacione prehabita, consensu
et voluntate domine .. uxoris mee omniumque heredum meorum pleni accedente, duas
areas cum domibus in eisdem constructis et ortis adiacentibus cum earum pertinenciis et redditibus, unam
ubi sitas in vico sancte Affre, quarum unam nunc inhabitant quedam conuerse seu Begine, et situatur
ex parte superiori pomerio vulgariter dicto Affenwalde et solvit tres solidos denariorum Augustensium annuatim
Religiosis .. in habitat .. dicti .., cui ex parte inferiori conterminatur. Domus dicti Gesellen, et solvit
singulis annis quinque solidos Augustensium denariorum, quas quidam A.. filia .. dicti .. quondam pro dicta quantitate
precium competentis titulo comparavi, honorabilibus ac religiosis viris .. Abbati et conventui monasterii sanctorum
Udalrici et Afre civitatis Augustensis, ad officium custodie eorum, nomine testamenti legavi, do et tradidi
dono et dandum, et tradidisse me presentibus confiteor, pure irrevocabiliter, simpliciter et in totum, fraude et
dolo penitus circumscriptis, tenendas habere et pacifice possidendas, transferendo in ipsos pleno iure omne
earundem prescriptarum possessionum ius et dominium quas vel que in dictis bonis et redditibus habui vel habere
potui quocumque modo, hac tamen condicione inclusa, ut dominus .. Custos prefati monasterii, qui pro tempore fuerit
singulis noctibus sine intermissione per circulum anni unum luminare iuxta tumbam quondam Heinrici
dicti Blanken in quibusdam diebus nostris situatam perpetuo ardere faciat de eisdem possessionum redditibus ordinet et
procuret, ut hoc sibi suis quod successoribus testamentaria in remedium animarum ipsorum eternaliter proveniat
et succedat. Renuncio et pro me et meis heredibus tam presentibus et imposterum futuris beneficio restitucionis
in integrum, litteris a sede apostolica vel aliunde impetratis aut impetrandis, necnon omni iuris auxilio canonici
et civilis, quo vel quibus predicta donacio seu testamentum possit aliqualiter revocari. In cuius donacionis
et recognicionis testimonium presentes ipsis dedi litteras sigillo meo et dominorum Iudicum civitatis Augustensis
fideliter communitas. Et nos Iudices civitatis Augustensis recognoscimus predictam donacionem sic testamentum in nostra
presencia fore factam, et ad perpetuam roboris firmitatem, ad instantes peticiones prefati Magistri Ulrici
dicti Hofmaier sigillum nostrum presentibus ex certa sciencia appendisse. Datum et actum Auguste
Anno domini millesimo ccc xxxj.